

# CAPUT I

*Caecus Ignis*

---

*I.1 versūs 1-5*




Ecce, **vulnus**.



Rēgīna amōre **vulnerāta** (=saucia) est.



Māter avis suōs pullōs **alit**. ‘Alit’ significat ‘cibum dat et amat.’



Equī herbam **carpunt** et edunt.

### **Gradus Prīmus (I.1.1)**

Dīdō sōla est.

Aenēās fābulam dē cāsū Trojae et dē itinere Trojānōrum  
jam cōnfēcit.

Cēna cōfēcta est et omnēs abiērunt dormītum.

Nox est.

Sed Dīdō dormīre nōn potest.

Rēgīna, quae diū vulnerāta est amōre,  
sōla manet in cubiculō.

Vulnus suum alit, dum ignī amōris ārdet.

Amor eam carpit et edit, sīcūt animālia herbam carpunt et edunt.  
Sed nēmō videt ignem Dīdōnis amōris.

In animō Dīdōnis Aenēās saepe recurrit, nam fortis et nōbilis est.  
Dīdō vultum verbaque Aenēae in animō videt et audit,  
nec potest quiētem capere,  
nam magnā cūrā tenētur.

### **Gradus Secundus (I.1.2)**

Sed rēgīna, jamdūdum gravī cūrā vulnerāta,  
vulnus alit sanguine, et ignī carpitur.

Nēmō potest vidēre hunc ignem: ignis caecus est.

Virtūs Aenēae in animō multum recurrit,  
et honor gentis ejus multum recurrit in animō;

## CAPUT I: CAECUS IGNIS

vultus verbaque Aenēae haerent īfixī in pectore Dīdōnis,  
nec cūra placidam quiētem corporī ejus dat.

### Gradus Tertius (I.1.3)

At rēgīna, jamdūdum gravī cūrā saucia,  
vulnus alit vēnīs et caecō ignī carpitur.  
Virtūs virī in animō multa recursat,  
et gentis honōs multus recursat;  
vultūs verbaque haerent īfixī pectore,  
nec cūra placidam quiētem membrīs dat.


### VERBA VERGILIĪ, VERSŪS 1-5

At rēgīna gravī jamdūdum saucia cūrā  
vulnus alit vēnīs et caecō carpitur ignī.  
Multā virī virtūs animō multusque recursat  
gentis honōs; haerent īfixī pectore vultūs  
verbaque nec placidam membrīs dat cūra quiētem.

### I.2 versūs 6-9



Ecce, sol oritur.



Ortus sōlis est ‘**Aurōra**’, et **Aurōra** est dea quae prīmam lūcem  
diēī indūcit.



**Aurōra lampadem portat et terrās illūminat.**

### **Gradus Prīmus (I.2.1)**

Posteā, dea Aurōra terrās lūce sōlis illūminābat,  
et umbram dē caelō remōverat,  
ubi īnsāna Dīdō sorōrī dixit:  
'Anna, soror, ānxia sum nec possum dormīre!'

### **Gradus Secundus (I.2.2)**

Posteā Aurōra terrās illūminābat lampade Phoebī,  
(Phoebeus, vel Apollō, est deus sōlis)  
hūmidamque umbram dē caelō remōverat,  
ubi īnsāna Dīdō haec verba dīxit sorōrī Annae,  
quae sorōrem Dīdōnem valdē amābat et cum eā saepe  
cōnsentiēbat.  
Dīdō, 'Anna, soror,' inquit, 'quae mala somnia mē ānxiam terrent!'

### **Gradus Tertius (I.2.3)**

Postera Aurōra terrās lūstrābat Phoebeā lampade  
ūmentemque umbram polō dīmōverat,  
cum sīc [Dīdō], male sāna, adloquitur ūnanimam sorōrem:  
'Anna soror, quae īnsomnia mē suspēnsam terrent!'

### **VERBA VERGILIĪ, VERSŪS 6-9**

Postera Phoebeā lūstrābat lampade terrās  
ūmentemque Aurōra polō dīmōverat umbram,  
cum sīc ūnanimam adloquitur male sāna sorōrem:  
'Anna soror, quae mē suspēnsam īnsomnia terrent!'

*I.3 versūs 10-14*



Aenēās habet pulchrum ūs, pulchrum **pectus**, et pulchra **arma**.



Aenēās **jactātus est fātīs**.

**Gradus Prīmus (I.3.1)**

Dīdō: ‘Quis est hic novus vir quī ad domum meam vēnit?  
Ō, quam pulchra sunt ejus verba, et quam fortis est hic vir!  
Fortis est et bene armātus.

Crēdō eum filium esse deōrum  
nam ille nōn timidus est, sed fortis est,  
et filiī deōrum nōn timidī sunt.  
Ēheu, quam multum ille jactātus est fātīs!  
Quantīs bellīs, quantīs pugnīs aderat, dē quibus canēbat!’

**Gradus Secundus (I.3.2)**

‘Quis est hic novus hospes quī ad nostram domum pervēnit?  
Ō, quam bene loquitur,  
quam fortis est ille, pectore et armīs!  
Crēdō eum nātum esse ā deīs.  
Timor enim animōs ignōbilēs indicat.  
Heu, quam jactātus ille est fātīs!  
Quae bella passus est, dē quibus canēbat!’


### Gradus Tertius (I.3.3)

'Quis hic novus hospes nostrīs sēdibus successit,  
quem ūre sēsē ferēns,  
quam fortī pectore et armīs [sē ferēns]!  
Crēdō equidem, nec vāna [est] fidēs,  
genus [ejus] esse deōrum.  
Timor arguit dēgenerēs animōs.  
Heu, quibus fātis ille jactātus [est]!  
Quae bella exhausta canēbat!'

#### VERBA VERGILIĪ, VERSŪS 10-14

'Quis novus hic nostrīs successit sēdibus hospes,  
quem sēsē ūre ferēns, quam fortī pectore et armīs!  
Crēdō equidem, nec vāna fidēs, genus esse deōrum.  
Dēgenerēs animōs timor arguit. Heu, quibus ille  
jactātus fātis! Quae bella exhausta canēbat!'


### I.4 versūs 15-19



Ecce, **fax**. **Facēs** sunt signa mātrimōniī, nam amor  
ārdet sicut **fax**.



Ecce, **thalamus**, vel lectus. **Thalamī** sunt signa mātrimōniī,  
quod duo hominēs in ūnō lectō dormiunt.



Ecce, **vīnculum**. **Vīncula** sunt signa mātrimōniī, quod **vīncula** jungunt duōs hominēs.

### **Gradus Prīmus (I.4.1)**

Dīdō: ‘Nōlō mē jungere alicuī in mātrimōniō.  
Id fixum et immōtum est mihi in meō animō.  
Nam prīmus vir quem amāvī mē miseram relīquit morte suō.  
Mē taedet mātrimōniī!  
Sī nōn cōnstitussem nē uxor iterum essem,  
fortasse potuissem facere hunc ūnum errōrem et amāre  
hunc virum.’

### **Gradus Secundus (I.4.2)**

‘Sī nōn manēret fixum et immōtum mihi in meō animō  
nē mē cuī (<alicuī) jungerem vinculīs mātrimōniī,  
postquam prīmus vir quem amāvī mē dēseruit morte suō,  
sī mē nōn taeduisset thalamī mātrimōniī et facis  
(*<fax*) mātrimōniī,  
fortasse potuissem huic ūnī culpae succumbere.’

### **Gradus Tertius (I.4.3)**

‘Sī nōn sedēret fixum immōtumque mihi animō  
nē vellem mē sociāre cui vinclō jugālī,  
postquam prīmus amor [mē] dēceptam morte fefellit;<sup>1</sup>  
sī thalamī taedaeque nōn pertaesum fuisset,  
forsan potuī huic ūnī culpae succumbere.’

---

<sup>1</sup> Dīdō nōn dīcit suum virum sē dēcēpisse aut fefellisse; haec eadem verba in sepulchrīs saepe inscripta sunt, et dēmōnstrant dolōrem maximum.

**VERBA VERGILIĀ, VERSŪS 15-19**

‘Sī mihi nōn animō fixum immōtumque sedēret  
nē cui mē vinclō vellem sociāre jugālī,  
postquam prīmus amor dēceptam morte fefellit;  
sī nōn pertaesum thalamī taedaeque fuisset,  
huic ūnī forsā potuī succumbere culpae.’

*I.5 versūs 20-23*



Ecce, **penātēs**. **Penātēs** sunt statuae deōrum quī domum dēfendunt. Hī deī familiā dēfendunt, sī familia eōs colunt.



Ēheu! **Penātēs sparsī sunt** sanguine hūmānō! Nefās est!

**Gradus Prīmus (I.5.1)**

Dīdō: ‘Ō Anna, audī mē, nam volō tēcum loquī.

Postquam Pygmalion Sychaeum (meum miserum virum) occīdit et sanguinem frātris sparsit in penātēs, hic vir (Aenēās) sōlus mē affēcit.

## CAPUT I: CAECUS IGNIS

Nunc autem incerta sum utrum amāre velim.  
Sed amōrem sentiō, id sciō.  
Haec flamma in meō corde est similis illī flammae quam sēnsī cum  
Sychaeum amāvī.'

### Gradus Secundus (I.5.2)

'Ō Anna, fatēbor, post mortem miserī conjugis Sychaeī,  
et postquam Pygmālion sparsit penātēs frāternō sanguine,  
hic vir sōlus meis incertī sensibus persuāsit  
et mōvit meum incertum animum.  
Agnōscō vestīgia veteris flammae amōris.'


### Gradus Tertius (I.5.3)

'Anna (fatēbor enim),  
post fāta miserī conjugis Sychaeī  
et penātīs sparsōs frāternā caede,  
hic sōlus sēnsūs īflexit animumque labantem impulit.  
Agnōscō vestīgia veteris flammae.'

### VERBA VERGILIĪ, VERSŪS 20-23

'Anna (fatēbor enim) miserī post fāta Sychaeī  
conjugis et sparsōs frāternā caede penātīs  
sōlus hic īflexit sēnsūs animumque labantem  
impulit. Agnōscō veteris vestīgia flammae.'

### I.6 versūs 24-27



Ecce, fulmen. Fulmen est tēlum Jovis. Juppiter fulmina  
saepe jacit.



‘**Pudor**’ est timor jūstae reprehēnsiōnis. Haec puella, memor **pudōris**, modesta est, nec vult aliōs sē vidēre malum facientem.

### **Gradus Prīmus (I.6.1)**

Dīdō: ‘Sed mālim terram aperīre et mē dēvorāre  
ante quam violēm meum pudōrem.  
Mālim Jovem, patrem deōrum, fulmen in mē jacere,  
et mē mittere ad terram mortuōrum,  
antequam meum pudōrem violēm.  
Pudor facit ut sōla sine virō vīvam; nōlō pudōrem neglegere.’

### **Gradus Secundus (I.6.2)**

‘Sed prius velim vel īma terra aperiāt et mē dēvoret,  
vel Juppiter (pater omnipotēns) fulmen in mē jaciat,  
et mē agat ad umbrās quae in Erebō (terrā mortuōrum) habitant,  
et mē agat ad noctem profundam mortis,  
antequam, pudor, tē violēm aut tua imperia neglegam.’


### **Gradus Tertiūs (I.6.3)**

‘Sed prius optem vel īma tellūs mihi dehīscat  
vel pater omnipotēns adigat mē fulmine ad umbrās,  
pallentīs umbrās Erebō noctemque profundam,  
ante quam, pudor, tē violō aut tua jūra resolvō.’


### **VERBA VERGILIĪ, VERSŪS 24-27**

‘Sed mihi vel tellūs optem prius īma dehīscat  
vel pater omnipotēns adigat mē fulmine ad umbrās,  
pallentīs umbrās Erebō noctemque profundam,  
ante, pudor, quam tē violō aut tua jūra resolvō.’


*I.7 versūs 28-30*



Ecce, **lacrima**. Cum tristis es, **lacrimae** surgunt (=oriuntur).



Ecce, **sinus**. **Sinus** est locus concavus. Est **sinus** in pectore et in gremiō.



Ecce, **sepulchrum**. Mortuī in **sepulchrīs** conditī sunt.

**Gradus Prīmus (I.7.1)**

Dīdō: 'Ille, Sychaeus, quī prīmus mē amāvit, meum  
amōrem abstulit;  
Quamquam mortuus est, volō Sychaeum in sepulchrō suō amōrem  
meum habēre.'  
Sīc Dīdō dīxit et lacrimāvit.  
Multae lacrimae in sinum ejus cecidērunt.

### Gradus Secundus (I.7.2)

'Ille, quī p̄imūs mē in mātrimōnium dūxit,  
meum amōrem abstulit;  
ille meum amōrem habeat sēcum, et servet in sepulchrō suō.'  
Sic locūta, lacrimae ortae sunt et in sinum cecidērunt:  
Dīdō sinum lacrimīs implēvit.


### Gradus Tertius (I.7.3)

'Ille, quī p̄imūs mē sibi jūnxit, meōs amōrēs abstulit;  
ille habeat sēcum servetque sepulchrō.'  
Sic effāta [Dīdō] sinum lacrimīs obortīs implēvit.


### VERBA VERGILIĪ, VERSŪS 28-30

'Ille meōs, p̄imūs quī mē sibi jūnxit, amōrēs  
abstulit; ille habeat sēcum servetque sepulchrō.'  
Sic effāta sinum lacrimīs obortīs implēvit.

### I.8 versūs 31-34



Ecce, lūx. (Lūx ↔ umbra)



Equī herbam **carpunt** et edunt.



Ecce, uxor marītum suum **maeret**. Stat prope sepulchrum virī.  
Trīstis est et sōla manet.



Post ignem, **cinis** invenītur.

### Gradus Prīmus (I.8.1)

Anna respondet:

‘Ō cāra soror, cārior mihi quam lūx,  
amōre ārdēs!

Hic amor tē carpit et edit, sīcut animālia herbam carpunt et edunt.  
Vīsne, sōla et maerēns, amōre carpī?

Juvenis es: tōtam juventam perditūra es!

Semperne maerēbis tuum virum mortuum?

Nōnne vīs habēre filiōs et filiās, et alia dōna Veneris?

Num crēdis mortuōs hominēs cūrāre utrum sōla maneās?’

### Gradus Secundus (I.8.2)

Anna respondet:

‘Ō soror, dīlēcta magis quam lūx mihi (tuae sorōrī),  
carperis amōre!

Vīsne sōla amōre carpī, mortuum virum maerēns,  
dum tōta juventa perditur?

Nōnne vīs nōvisse dulcēs filiōs et filiās, et dōna Veneris?  
Crēdisne cinerem et animās mortuōrum cūrāre hās rēs?’

### Gradus Tertius (I.8.3)

Anna refert: 'Ō [soror] dīlēcta magis lūce [mihi] sorōrī,  
sōlane maerēns carpēris perpetuā juventā  
nec nōveris dulcīs nātōs nec praemia Veneris?  
Crēdis cinerem aut mānīs sepultōs id cūrāre?'

### VERBA VERGILIĪ, VERSŪS 31-34

Anna refert: 'Ō lūce magis dīlēcta sorōrī,  
sōlane perpetuā maerēns carpēre juventā  
nec dulcīs nātōs Veneris nec praemia nōris?  
Id cinerem aut mānīs crēdis cūrāre sepultōs?'

### I.9 versūs 35-38



Puella puerum dēspicit. Puer dēspectus est.

### Gradus Prīmus (I.9.1)

Anna: 'Anteā, nēminem amāvistī.  
Dīcāmus hoc vērum esse:  
postquam Sychaeus mortuus est,  
Nēmō amōrem tuum excitāvit, nam maerēbās.  
Etiam Iarbās, prīnceps Āfricānus, tibi nōn placuit.  
Dēspexitī Iarbān et aliōs Āfricānōs dūcēs.  
Sed nunc hic ūnicus vir tibi placet!  
Cūr pugnās contrā amōrem tibi grātum?  
Amōrī tuō cēde, soror!'

### Gradus Secundus (I.9.2)

'Dīcāmus hoc vērum esse:  
nūllī virī umquam amōrem tuum excitāverunt,

## CAPUT I: CAECUS IGNIS

cum maerērēs Sychaeum,  
nec virī Libyae, nec virī Tyrī;  
Iarbās, prīnceps Āfricānus, dēspectus est,  
et aliī Āfricānī dūcēs quī multa bella gerunt et multōs  
triumphōs habent.  
Tūne etiam pugnābis contrā amōrem tibi grātum?’

### Gradus Tertius (I.9.3)

‘Estō: nūllī marītī quondam [tē] aegram flexērunt,  
nōn Libyae, nōn ante Tyrō;  
Iarbās dēspectus [est], ductōrēsque aliī,  
quōs Āfrica terra, dīves triumphīs, alit:  
placitōne amōrī etiam pugnābis?’

### VERBA VERGILIĪ, VERSŪS 35-38

‘Estō: aegram nūllī quondam flexēre marītī,  
nōn Libyae, nōn ante Tyrō; dēspectus Iarbās  
ductōrēsque aliī, quōs Āfrica terra triumphīs  
dives alit: placitōne etiam pugnābis amōrī?’

### I.10 versūs 39-44



Ecce, cingulum. Cingulum est vestīmentum quod **cingit** abdomen.



Barbarus minātur. Aliī **minās** ejus audiunt et territī sunt. ‘**Minae**’ sunt verba hostilia quae hominēs dīcunt ubi volunt terrere inimicōs suōs.

### **Gradus Primus (I.10.1)**

Anna: ‘Nōnne scīs ubi habitēs? Haec terra est inimīca!

Circum nōs sunt hostēs et desertae terrae:

Ab hāc parte, Gaetūlī, Numidae, et Barcaeī (hominēs ferōcēs)  
nōs cingunt,

ab illā parte, mare perīculōsum et deserta terra nōs cingunt.

Nūllōs amicōs habēmus—neque hīc in Āfricā, neque illīc  
in Phoenīciā.

In Phoenīciā, bella surgunt ab urbe Tyrō, et tū hoc bene scīs.

Nam frāter tuus Pygmaliōn bellum contrā tē parat.

ille tē monet et minās jactat.

Estne necesse mihi haec omnia dīcere?’

### **Gradus Secundus (I.10.2)**

‘Nec venit in mentem in quōrum terrā habitēs?

‘Hinc urbēs Gaetūlōrum, genus invictum bellō, cingunt,  
et ferōcēs Numidae cingunt, et perīculōsa pars maris  
nōmine Syrtis;

(‘Syrtis’ est locus in marī prope Āfricānam terram inter  
Karthāginem et Cyrēnēn

ubi nāvēs in harēnā haerent neque in altam aquam  
effugere possunt)

hinc regiō dēserta cingunt, et hinc ferōcēs Barcaeī cingunt.

Tū bene scīs bella surgere ab urbe Tyrō:

Estne necesse mihi dīcere haec bella et minās frātris?’

### Gradus Tertius (I.10.3)

'Nec venit in mentem quōrum arvīs cōnsēderis?  
 Hinc Gaetūlāe urbēs,  
 genus īsuperābile bellō,  
 et īfrēnī Numidae cingunt et inhospita Syrtis;  
 Hinc regiō dēserta sitī lātēque furentēs Barcaeī [cingunt].  
 Quid dīcam bella surgentia Tyrō germānīque minās?'

### VERBA VERGILIĪ, VERSŪS 39-44

'Nec venit in mentem quōrum cōnsēderis arvīs?  
 Hinc Gaetūlāe urbēs, genus īsuperābile bellō,  
 et Numidae īfrēnī cingunt et inhospita Syrtis;  
 hinc dēserta sitī regiō lātēque furentēs  
 Barcaeī. Quid bella Tyrō surgentia dīcam  
 germānīque minās?'

### I.11 versūs 45-49



Dīdō Jūnōnem colit, et Jūnō Dīdōnī **favet**.



Dī, cum alicui **favent**, 'secundī' sunt. Dī **secundi** hominibus **favent**.

### Gradus Prīmus (I.11.1)

Anna: ‘Crēdō, certē, deōs tibi favēre. Jūnō tibi favet.  
Nam crēdō Trojānōs hūc vēnisse Jūnōne cēterīsque dīs volentibus.  
Deī ventum mīsērunt quī eōs hūc dūceret.  
Ō soror, sī Aenēas tē in mātrimōnium dūxerit,  
quam urbem vidēbis! Urbs potentissima erit!  
Et regnum tuum potentissimum erit!  
Quantam glōriam nōs Pūnicī habēbimus!’

### Gradus Secundus (I.11.2)

‘Crēdō equidem, dīs volentibus et Jūnōne secundā,  
Trojānās nāvēs ventō hūc vēnisse.  
Quam urbem tū vidēbis, soror!  
Quae rēgna vidēbis surgere, mātrimōniō tālī!  
Armīs Trojānīs nōs juvantibus,  
quantīs rēbus Pūnica glōria surget!’


### Gradus Tertius (I.11.3)

‘Reor equidem, dīs auspicibus et Jūnōne secundā,  
Īiacās carīnās hunc cursum ventō tenuisse.  
Quam hanc urbem tū cernēs, soror,  
quae rēgna [cernēs] surgere conjugiō tālī!  
Armīs Teucrum comitantibus,  
quantīs rēbus Pūnica glōria sē attollet!’


### VERBA VERGILIĪ, VERSŪS 45-49

‘Dīs equidem auspicibus reor et Jūnōne secundā  
hunc cursum Īiacās ventō tenuisse carīnās.  
Quam tū urbem, soror, hanc cernēs, quae surgere rēgna  
conjugiō tālī! Teucrum comitantibus armīs  
Pūnica sē quantīs attollet glōria rēbus!’


*I.12 versūs 50-53*



Fēmina ‘**Ignōsce** mihi!’ inquit.



‘Nihil est. Tibi **ignōscō**,’ inquit amīcus. Amīcus eī **veniam** dat.



Ecce, **Oriōn**. **Oriōn** in caelum oritur Novembrī, ubi **hiems** est.

**Gradus Prīmus (I.12.1)**

Anna: ‘Nōlī tē vexāre. Rogā deōs ut tibi ignōscant, et fac sacrificia.  
Accipe Aenēān hospitem et dīc eī, “Nōlī abīre!

Manē hīc! Nōlī festīnāre!

Nam hiems est et multae tempestātēs sunt in marī.

Nāvēs tuae jactārī mergīque possunt tempestātibus,  
nam caelum inimīcum est.”’

**Gradus Secundus (I.12.2)**

‘Age, modo rogā deōs veniam  
et litā sacra.

## CAPUT I: CAECUS IGNIS

Benignē accipe Aenēān hospitem  
et dic eī multās causās morandī,  
dum hiems et saeva tempestās marī furit,  
dum nāvēs quassātae sunt et caelum inimīcum est.'

### Gradus Tertius (I.12.3)

'Tū modo posce deōs veniam,  
sacrīsque litātīs indulgē hospitiō  
causāsque morandī innecte,  
dum hiems et aquōsus Oriōn pelagō dēsaevit,  
dum ratēs quassātae [sunt] et caelum nōn tractābile [est].'


### VERBA VERGILIĪ, VERSŪS 50-53

'Tū modo posce deōs veniam, sacrīsque litātīs  
indulgē hospitiō causāsque innecte morandī,  
dum pelagō dēsaevit hiems et aquōsus Oriōn,  
quassātaeque ratēs, dum nōn tractābile caelum.'


### I.13 versūs 54-59



Ecce, **dēlūbrum**. **Dēlūbrum** est parvum templum ubi deus vel dea colitur.



Ecce, **āra**. **Āra** est locus in quō sacrificia fiunt.



Ecce, **ovis**. Dum **ovis** juvenis est, habet duōs dentēs longiōrēs. Haec **ovis** vocātur '**bidēns**' nam duōs dentēs longiōrēs habet.

### Gradus Prīmus (I.13.1)

Cum haec dīxisset, Anna animum Dīdōnis amōre flammāvit et spem dedit et remōvit pudōrem Dīdōnis quae incerta fuerat. Prīnum ad templa adeunt et sacrificia faciunt in ārīs, ut pācem petant. Caedunt ovēs juvenēs et sacrificia faciunt Cererī, Apollinī, et Bacchō. Etiam sacrificium faciunt Jūnōnī ante omnēs aliōs, quod illa est dea mātrimōnī.

### Gradus Secundus (I.13.2)

Hīs dictīs, Anna animum Dīdōnis amōre flammāvit et spem dedit dubiae mentī ejus et remōvit pudōrem. Prīnum ad templa adeunt pācemque per ārās petiērunt; caedunt ovēs quās dē mōre lēgērunt, et sacrificia faciunt Cererī, quae lēgēs fert, et Apollinī et patrī Bacchō, et Jūnōnī ante omnēs, quae cūrat vincla mātrimōnī.


### Gradus Tertius (I.13.3)

Hīs dictīs animum impēnsō amōre flammāvit spemque dedit dubiae mentī solvitque pudōrem. Prīncipiō [ad] dēlūbra adeunt pācemque per ārās exquīrunt; mactant bidentīs lēctās dē mōre lēgiferae Cererī Phoebōque patrīque Lyaeō, Jūnōnī ante omnīs, cui cūrae [sunt] vincla jugālia.


**VERBA VERGILIĪ, VERSŪS 54-59**

Hīs dictīs impēnsō animū flammāvit amōre  
spēmque dedit dubiae mentī solvitque pudōrem.  
Prīncipiō dēlūbra adeunt pācemque per ārās  
exquīrunt; mactant lēctās dē mōre bidentīs  
lēgiferae Cererī Phoebōque patrique Lyaeō,  
Jūnōnī ante omnīs, cui vincla jugālia cūrae.

*I.14 versūs 60-64*



Ecce, **patera**. Pateram tenēns, Dīdō vīnum fundit inter **cornua** vaccae.



**Exta** sunt in **pectore**. Dīdō **pectorā** animālium aperit ut **exta** īspiciat.



Ecce, **ōs**. ‘**ōs**’ significat et ‘vultus’ et ‘pars vultūs quā loquī et cibum edere potest’. In hīs versibus, ‘**ōs**’ significat ‘vultus’.

### Gradus Prīmus (I.14.1)

Ipsa pulcherrima Dīdō dextrā manū vīnum ē paterā fundit  
inter media cornua vaccae,  
aut venit ad ārās ante statuās deōrum,  
et cotīdiē sacrificia facit,  
et ipsa aperit pectora animālium ut exta īspiciat.

### Gradus Secundus (I.14.2)

Ipsa pulcherrima Dīdō dextrā manū pateram tenēns  
vīnum fundit inter media cornua albae vaccae,  
aut venit ad ārās dīvitēs ante vultūs deōrum,  
renovatque diem dōnīs,  
et aperit pectora animālium,  
et spīrantia exta oculīs intentīs īspicit.


### Gradus Tertius (I.14.3)

Ipsa pulcherrima Dīdō dextrā pateram tenēns  
inter media cornua candardis vaccae fundit,  
aut spatiātur ad ārās pinguīs ante ūra deum,  
īstauratque diem dōnīs,  
et inhiāns reclūsīs pectoribus pecudum spīrantia exta cōsulit.

#### VERBA VERGILIĪ, VERSŪS 60-64

Ipsa tenēns dextrā pateram pulcherrima Dīdō  
candardis vaccae media inter cornua fundit,  
aut ante ūra deum pinguīs spatiātur ad ārās,  
īstauratque diem dōnīs, pecudumque reclūsīs  
pectoribus inhiāns spīrantia cōsulit exta.

### *I.15 versūs 65-67*



Ecce, **os**. In **osse** est **medulla**. **Os** dūrum est, sed  
**medulla mollis** est.

### Gradus Prīmus (I.15.1)

Ēheu! Dīdō et Anna ignārae sunt futūrōrum!  
Frūstrā sacrificia fēcērunt et frūstrā deōs coluērunt:  
ubi Dīdō ad templa venit et vōta facit,  
vōta eam nōn juvant, nam mēns furiat.  
Intereā flamma in ossibus ārdet  
et vulnus amōris in corde vīvit.

### Gradus Secundus (I.15.2)

Heu, mentēs ignārae prophētārum!  
Frūstrā sacrificia fēcērunt et frūstrā deōs coluērunt:  
vōta et templa furentem mentem Dīdōnis minimē juvant.  
Intereā flamma ēst (≈cōnsūmit) mollēs medullās in ossibus  
et tacitum vulnus vīvit in corde.


### Gradus Tertius (I.15.3)

Heu, mentēs ignārae vātum!  
quid vōta, quid dēlūbra furentem [mentem] juvant?  
Intereā flamma ēst mollīs medullās  
et tacitum vulnus vīvit sub pectore.

### VERBA VERGILIĪ, VERSŪS 65-67

Heu, vātum ignārae mentēs! Quid vōta furentem,  
quid dēlūbra juvant? Ēst mollīs flamma medullās  
intereā et tacitum vīvit sub pectore vulnus.

### I.16 versūs 68-73



Ecce, **cerva**. Ecce, **sagitta** (=harundō).



Haec **cerva sagittā** vulnerāta est.  
Ubi est **sagitta** (vel **harundō**)?  
**Sagitta** (vel **harundō**) in **latere** haeret.

### Gradus Prīmus (I.16.1)

Misera Dīdō ārdet et per tōtam urbem currit,  
sīcūt cerva quam vir sagittā vulnerāvit,  
ubi cerva perīculum nōn exspectat.  
Vir sagittās ad eam mittit.  
Sed nescit num eam occiderit an nōn:  
nōn enim potest eam vidēre, nam cerva per silvās currit.  
Sed horribilis sagitta manet in eā, et cerva moritūra est.

### Gradus Secundus (I.16.2)

Īnfēlīx Dīdō ārdet et per tōtam urbem errat, furēns,  
sīcūt cerva sagittā vulnerāta,  
quam perīculum non exspectantem pāstor agit et sequitur  
et sagittās procul mittit ad eam  
per silvam Crētæ currēntem.  
Pāstor eam sagittā fixit,  
sed nescit sē ferrum sagittae vēlōcis in eam fixam relīquisse:  
illa per silvās montis Dictēs fugit (mōns Dictē est in Crētā);  
fātālis sagitta haeret in latere.

### Gradus Tertius (I.16.3)


Īnfēlīx Dīdō ūritur et furēns tōtā urbe vagātur,  
quālis cerva conjectā sagittā,  
quam pāstor agēns tēlis procul inter Crēsia nemora fixit incautam  
līquitque volātile ferrum nescius:  
illa silvās saltūsque Dictaeōs fugā peragrat;  
lētālis harundō haeret laterī.

**VERBA VERGILIĀ, VERSŪS 68-73**

Ūritur īnfēlīx Dīdō tōtāque vagātur  
 urbe furēns, quālis conjectā cerva sagittā,  
 quam procul incautam nemora inter Crēsia fixit  
 pāstor agēns tēlīs līquitque volātile ferrum  
 nescius: illa fugā silvās saltūsque peragrat  
 Dictaeōs; haeret laterī lētālis harundō.

*I.17 versūs 74-76*

Fēmina tacet. Nōn loquitur.



Deinde fēmina **incipit** loquī.

**Gradus Prīmus (I.17.1)**

Nunc Dīdō Aenēān sēcum dūcit per urbem Karthāginem.  
 Eum dūcit per mūrōs et per viās, ante templa et aedificia.  
 Omnia pulcherrima sunt.

‘Tam dives es!’ inquit Aenēās. ‘Ubīque sunt magna et  
 splendida aedificia!’

Dīdō incipit loquī, sed subitō tacet; incipit, et iterum tacet.

‘Ita, ego dīves... sum... quod Sychaeus mihi dedit multum aureī... is  
 nunc mortuus est...’

Dīdō nōn potest diū loquī, nam ānxia est cum Aenēās adest.

### Gradus Secundus (I.17.2)

Nunc Dīdō Aenēān sēcum dūcit per mediōs mūrōs  
et Tyriās dīvitiās urbemque parātam saepe ostendit,  
incipit loquī et subitō tacet in mediā vōce;


### Gradus Tertius (I.17.3)

Nunc Aenēān sēcum dūcit media per moenia  
Sīdoniāsque opēs ostentat urbemque parātam,  
incipit effārī mediāque in vōce resistit;


### VERBA VERGILIĪ, VERSŪS 74-76

Nunc media Aenēān sēcum per moenia dūcit  
Sīdoniāsque ostentat opēs urbemque parātam,  
incipit effārī mediāque in vōce resistit;

*I.18 versūs 77-79*



Ecce, **convīvium**. In **convīviō** sunt hospitēs et cēna.



‘Aenēis mihi placet,’ inquit Marcus.


‘Aenēis mihi quoque placet!’ inquit Decimus. ‘**Eadem** fābula nōbis placet!’

## CAPUT I: CAECUS IGNIS

'Quis liber Aenēidos est tibi dīlectissimus?' inquit Marcus.

'Liber quartus, certē,' respondet Decimus.

Marcus: 'Papae! Liber quartus mihi dīlectissimus est! **Īdem** liber nōbīs dīlectissimus est!'



Homō vestem in arbore pōnit. Nunc vestis ab arbore **pendet**.



Fēmina virum dīligenter audit. Fēmina **pendet ab ōre** ejus.

### Gradus Prīmus (I.18.1)

Nunc, dum sol occidit, Dīdō iterum Aenēān invitat ad convīvia,  
et, īnsāna amōre, eum jubet iterum nārrāre dē bellō Trojānō et dē  
itineribus Trojānōrum.

Iterum Aenēās nārrat, et Dīdō dīligenter audit:

Aenēān nārrantem sōlum spectat, Aenēān nārrantem sōlum audit.

### Gradus Secundus (I.18.2)

nunc Dīdō sōle occidente eadem convīvia quaerit,  
et īnsāna jubet Aenēān Trojānōs labōrēs iterum nārrāre,  
et iterum dīligentissimē eum nārrantem audit.

### Gradus Tertius (I.18.3)


Nunc lābente diē eadem convīvia quaerit,  
et dēmēns Īliacōs labōrēs iterum audīre exposcit  
pendetque iterum ab ōre nārrantis.

**VERBA VERGILIĀ, VERSŪS 77-79**

Nunc eadem lābente diē convīvia quaerit,  
 Īiacōsque iterum dēmēns audīre labōrēs  
 exposcit pendetque iterum nārrantis ab ūre.

*I.19 versūs 80-83*

Sōl et lūna terram illūminant, sed nōn eōdem tempore.  
 Aliquandō sōl lūcet, aliquandō lūna lūcet. Sōl et lūna **vicissim**  
 terram illūminant.



Ecce, **lectus**. In **lectō** sunt **strāta**.

**Gradus Prīmus (I.19.1)**

Posteā, ubi omnēs ā convīviō discessērunt,  
 nox obscūra est; lūna et stellae cadunt in caelō.  
 Dīdō sōla domī manet. Trīstissima est.  
 Jacet in lectō ubi Aenēas cēnāvit et sibi dīcit, ‘Aeneās hīc jacuit.  
 In hōc lectō Aeneās jacuit et mihi nārrāvit Trojānōs labōrēs.  
 Corpus ejus erat hīc.’

**Gradus Secundus (I.19.2)**

Posteā, ubi omnēs dīgressī sunt,  
 et obscūra lūna lūmen nōn ostendit,

## CAPUT I: CAECUS IGNIS

et cadentēs stellae persuādent omnibus ut dormiant,  
Dīdō sōla in domō vacuā dolet  
et jacet in lectīs quōs Aenēās reliquit.

### Gradus Tertius (I.19.3)

Post ubi dīgressī [sunt],  
et obscūra lūna vicissim lūmen premit  
et cadentia sīdera somnōs suādent,  
[Dīdō] sōla domō vacuā maeret  
strātisque relictīs incubat.

### VERBA VERGILIĪ, VERSŪS 80-83

Post ubi dīgressī, lūmenque obscūra vicissim  
lūna premit suādentque cadentia sīdera somnōs,  
sōla domō maeret vacuā strātisque relictīs  
incubat. ...

### I.20 versūs 83-85



Ecce, **gremium**. Puella in **gremiō** Sanctī Nīcolāī sedet.